D. D.

DISSERTATIO HISTORICA
DE

HOLMGARDIA,

CUJUS
PARTEM QUARTAM,
CONSENTIENTE AMPLISSIMO SENATU PHILOS.
IN REGIA ACADEMIA ABOËNSI,
PUBLICO EXAMINI SUBJICIUNT

JOHANNES BILMARK,
FACULT. PHIL. ADJUNCTUS,
ET
JOHANNES COLLIANDER,
WIBURGENSIS,

DIE VIII. DECEMBRIS ANNI MDCCLIX.
L. H. Q. A. M. C.

ABOÆ, Impressit DIRECT. & TYPOGR. Reg. Magn. Duc. Finland. JACOB MERCKELL.

S:æ R:æ M:tis
MAXIMÆ FIDEI VIRO,
Reverendissimo PATRI ac DOMINO,

D:NO CAROLO FRIDERICO MENNANDER,

S. S. Theologiæ DOCTORI Celeberrimo, Diœceseos Aboënsis EPISCOPO Eminentissimo, Regiæ Acad. ibid. PRO-CANCELLARIO Magnificentissimo, Scholarum per Diœcesin EPHORO Accuratissimo, Reg. Acad. Scient. Holm. MEMBRO Dignissimo.

MÆCENATI MAXIMO.

NOn adeo mutis me sors inclusit Amyclis,
Quæve diu tacuit, sic mea Musa riget;
Amplius ut sileam, Patrius cum personat orbis,
MAXIME MÆCENAS, laudibus usque TUIS.
Vindice TE floret pietas, Ecclesia vernat,
Hæresiumque nocent toxica nulla gregi.
Heic fervent artes, nervi fontesque bonorum,
Gnaviter & Musæ jam sua pensa trahunt.
Quippe TUI cunctos recreat mox aura favoris,
Et valde gaudes posse juvare bonos.
Propter & ingenii vasti nitidissima dona,
Notus es Eois, notus & Hesperiis.
Nam sive Historiæ campos spatiare per amplos,
Vel quoque Naturæ mystica facta doces,
Blandisono pangis plectro seu carmina sveta;
Ista novem possent scripta decere Deas.
Denique sic præstas facundæ munere lingvæ;
Ut quosvis animos in TUA vota trahas.
Sed TUA dum tento complecti carmine facta,
Obruor, ac tantum Musa recusat opus.
Mitte hæc, Calliope. Summum venerare Patronum,
Qui fuit in dubiis portus & ara tibi.
At quid agam? Voces ingens favor opprimit ore:
Hinc tacita, at jugi TE pietate colam.
Sume tamen facilis devotæ pignora mentis,
Hoc opus, hæcce TUIS debita thura focis.
Sint ea parva licet, nec tanto Nomine digna;
Ast aliquid pretii candida vota dabunt:
Nil TIBI, nilque TUIS noceant incommoda fati,
Nec frangat vires publica cura TUAS.
Vive diu felix, Heliconis adorea nostri,
Præsidium Musis, alter Apollo vale!

REVERENDISSIMI NOMINIS TUI

humillimus cliens
JOHANNES BILMARK.

Kongl. Maj:ts
Tro-Tjenare och Capitaine af Kongl. Tavastehus-Regemente til fot/
Wäl Ädle Herren/

Herr ARVED COLLIANDER,

Min Huldaste Fader.

ÄNdteligen har jag fått lämna Martis modiga bussar/ och åter begifwa mig til Musernas stilla och ljufwa Parker. Men at mit ödes skiepp/ som hit tils blifwit kastat af allehanda wäder-ilar/ nu får ankra wid detta lyjtra Läro-säte/ måste jag/ näst Gud/ tilskrifwa Er/ Min Fromma Fader/ som för min upkomst haft alt ospardt: ja försträckt mig mera/ än Edra wilkor welat tillåta. Jag har njutit af Eder så stora och många wälgjerningar/ at hwarken min tänke-gåfwa kan dem begripa/ eller min tunga dem uttala. Imedlertid nedlägger jag för Eder/ Min Hulda Fader/ detta arbete/ hwilcket af mig/ som et snille prof/ skal förswaras. Uvtagen det/ som et litet wedermåle af den barnsliga wördnad, hwar af mit inre til döden lågar. Försynen/ som ifrån så många wådeliga tilfällen/ hwilka i Batailler förefalla/ mildeligen frälsat Min Hulda Fader/ täckes med allsköns både andelig och lekamlig wälsignelse bekröna Edra grå hår Så önskar af innersta hjerta

Min Huldaste Faders

lydigste Son

JOHANNES COLLIANDER.

VIRO NOBILISSIMO,

D.NO PETRO BOEKMAN,

Ad Legionem Regiam Savolaxiensem Centurioni inclyto,

PATRUI LOCO COLENDO.

DAntur homines perfrictæ adeo frontis, ut existiment, nullum omnino consortium Martem inter ac Palladem intercedere. Sed hi fere sunt, qui veram bellandi rationem ignorantes, temerarios ausus veræ fortitudinis specimina esse judicant. Ipsi autem media die cæcutire mihi videntur. Etenim Doctrina, ut recte censet Magnus VERULAMIUS, non in civilia tantum atque artes pacis influxum habet, sed et in militari virtute exercet vim suam ac potentiam. Hinc etjam TU, Patrue carissime, non minus Musarum frequentasti choros, quam Bellonæ castra jugiter es secutus. In adolescentia enim tantos fecisti in litteris progressus, ut dignus sis habitus, qui ad majora confestim militaria munera proveheris. Deinde ut vacationem ætatis obtinuisti, totus in scientias incumbis. Proinde non indigne feras, quod non tam more, quam pietate in TE ductus, Dissertationem hanc TIBI consecrem, in qua reperies Heroum facta, TUA, ut spero, cognitione non indigna. Quicquid sit, permittas opus hoc esse pignus prolixæ, quo TE prosequor, venerationis. Quam gratiam si dederis, ad Supremum Numen calidissima fundam vota, velit TE, omni felicitate mactatum, in longam annorum seriem sospitem conservare! Ero, dum vixero

NOBILISSIMI NOMINIS TUI

cultor humillimus

JOHANNES COLLIANDER.

Kongl. Maj:ts
Tro-Tjenare och Lieutenant wid Kongl. Tavaste-hus Regemente til fot/

Herr CARL HINRIC SASS

Min Högtärade Herr Farbror.

DE stora wälgjärningar, som I, Min Farbror, i flere år helt oförtjent hafwen mig bewisat, förbinda mig til största årkänsla. Jag har länge önskat mig et sådant tilfälle, hwarigenom jag offenteligen finge betyga min ödmjuka tacksamhet; men mitt swåra öde har hit intil hindrat de wördnads lågor, hwar af mit inre länge brunnit, at utbrista. Fägnar derföre mig så mycket mer af den anledning mig nu gifwes, at förklara åtankan af min skyldighet. Uptagen, Min käre Farbror med wanlig ynnest hwad jag har den äran at Eder upoffra; låt det få wara et litet wedermäle af den högaktning jag för Eder wärda Person hyser. För öfrigt skal jag aldrig underlåta, at med trogna böner anropa den Högsta Guden, Han täcktes rikeligen förunna Eder all sällhet, som i denna wanskliheten kan af någon dödelig åskas. Förblifwer med tilgifwenhet och wördnad

Min Högtärade Herr Farbrors

ödmjukaste tjenare
JOHANNES COLLIANDER.

I. N. J.

§. XLIII.

REgionibus quibusdam Gardariciæ a ferocibus populis, quorum mentionem nuper fecimus, occupatis, facies rerum in his oris admodum fuit mutata. Amicitia enim, qua Svecos plerumque amplexi fuerant Holmgardi, in nubilo hoc statu adeo decrevit, ut progenitores suos iterum iterumque armis lacessere non dubitaverint. Ut insultus hos ab orientali plaga sæpe ingruentes reprimerent Reges Svethiæ, seculo sexto magnis stipati copiis ad Holmgardica littora sese frequenter contulerunt. Inter hos Rex Upsaliensis *INGVARUS HARRA* seu *Excelsus*, Osteni filius, sua temere despici signa ægerrime ferens, cum contumacibus Holmgardis multa prælia non minus fortiter, quam feliciter gessit; adeo ut totam Estoniam in suam redegerit potestatem, nec non alias bene

multas

multas orientis regiones ſibi reddiderit vectigales (*a*). Hinc ſtatim progreſſus victricia arma usque ad Pontum Euxinum circumtulit, & *Chaſaros* (*b*), qui, Hunnis, mixti imperium per Holmgardiam magis magisque extendere nitebantur, partim expulit, partim etjam ſibi ſubjecit. Tum opibus & gloria inſigniter auctus reditum in Patriam paravit. Ut autem in Eſtoniam pervenit, & res ibi conſtituit, cives jugum ſibi impoſitum excuſſuri, ipſum, nihil periculi metuentem, fraudulenter aggreſſi ſunt, atque una cum maxima exercitus parte in loco quodam, *Stene* (*c*) dicto, occiderunt (*d*). Quam inclyta autem hæc per ſeptentrionem fuerit expeditio, plurima teſtantur monumenta Runica, in memoriam Virorum fortium, qui auſpicia Yngvari ſequentes in Oriente occubuerant, per Patriæ ſolum paſſim erecta, quæque ad noſtram permanſerunt memoriam (*e*). Ad hæc ferme tempora ſunt illa quoque referenda, quæ annales Holmgardici de expeditione quadam in meridionales terras a Majoribus ſuis ſuſcepta perhibent. Memoriæ ſcilicet produnt, ſe cum Gothis, e Scandia egreſſis, *TOTILÆ*, Regi Oſtro-Gothorum, auxilia tuliſſe contra Imperatorem *JUSTINIANUM*, multaque prælia proſpere geſſiſſe: quod etjam Demetrius, Moſchovitarum legatus, coram Pontifice Romano, *CLEMENTE VII.* adfirmavit (*f*). Hæc obiter. Magna autem clades, quam in Eſtonia acceperant Sveci, non diu inulta manſit. Manibus enim Yngvari & hujus commilitonum, ſangvine conju-

conjuratorum populorum Orientalium ſtrenue parentarunt filii ejusdem *AMUNDUS* (*g*) atque *SKIRA* (*h*). Immo, debellatis hoſtibus, rem eo perduxerunt, ut Skiram Regem ſuum eligere cogerentur Holmgardi (i). Ipſe autem Amundus pretioſiſſimis ornatus manubiis in Svethiam remeavit, ibique felicitatem civium variis inventis promovit. Sicut vero Skira fortiſſimus fuit Princeps, ita nulli dubitamus, quin, Holmgardico admotus imperio, egregia multa ediderit facinora; quæ tamen rite exponere prohibet ingens monumentorum defectus. Denique obſervamus, quod dum hæc a Svecis geruntur, pars Gothorum auſpicio Principis *ALGOTHI* Rotherum, Piratam Holmgardicum profligaverit, nec prius ſe hinc receperit, quam Bjarmii, ceterique vicini populi imperata facerent, & Svethiam perpetuo tributo agnoſcerent ſuperiorem. (*k*).

(*a*) Vid. *STURLONIDIS Tom. I. p. m.* 41, nec non *MESSENII Sc. II. Tom. I. p m.* 25. (*b*) Hi populi ex genere Tattarorum fuerunt, veteresque Scandinavi ipſos non raro adpellarunt *Kuſſar*, vid *STURLONIDIS Tom. II. p. m.* 57. atque *STRAHLENBERGI Nord und Oſt theil &c. p. m.* 172. Holmgardi autem illos *Caſaros* nominarunt, cum quibus ante adventum Rureci multa & gravia gesſerunt bella; jugum vero ſibi impoſitum ope Varegorum tandem excuſſerunt, confr. *HERBERSTEINI libr. de Reb. Muſchov. p. m.* 2. Ad hos populos referendi etjam ſunt illi, qui minorem inhabitant Serklandiam, *Sirkaſſi* hodie dicti, vid. *Henr. BRENNERI Notas ad Seriem Principum Iberiæ & Sirkaſſiæ &c. p. m.* 89; cui addatur *E. J. BJOERNERI Prodromus ad Geographiam*

Scandiæ.

Scandiæ. (*c*) De situ & indole hujus loci pluribus differit *VILDE in Observat. ad H. S. P. p. m.* 113 & 187. (*d*) vid. *STURLONIDIS Tom. I. p. m.* 42. (*e*) Insignem horum, perquam eleganter delineatorum, numerum exhibet *PERINGSKJÖLD in Ättart. p. m.* 21 .... 27 *inclusive.* (*f*) vid. *REUTENFELSI libr. cit. p. m.* 33. Hinc Moschovitæ gloriari solent, se Gothis quondam auxilio fuisse in Cæsarum imperio destruendo ac Roma subvertenda; omnes vero propterea Gothos fuisse adpellatos, quoniam hi Auctores illius expeditionis exstitissent, vid. *Pauli JOVII libr. de legat. Moschovit. p. m.* 124. (*g*) Hac victoria perquam inflati Estones non minus, quam Holmgardiæ imperium meditabantur; quæ molimina etjam moverunt Amundum ad copias suas huc transferendas, vid. *BJOERNERI libr. de VAREGIS p. m.* 83. Ceterum Princeps hic populis Orientalibus tantum terrorem armis suis victricibus injecit, ut, quemadmodum Svethiæ Rex *DOMALDUS Jota Dolgi* seu *Jutarum terror* erat dictus, vid. *STURLON. Tom. I. p. m.* 19; ita Amundus noster *Eistra Dolgi* seu *Holmgardorum terror* nuncupatus fuit, conf. *STURLON. cit. a DALINO in Hist. Sv. Tom. I. p. m.* 395. (*h*) Nomina Propria ab initio pleraque fuerunt adpellativa; quod de nomine *SKIRA* pariter est tenendum. *Skira* autem partim innocentem, partim etjam aquis lustratum seu baptizatum denotat. Priori significatu indicat hominem modestum & vitiorum fordes jugiter evitantem; posteriori autem, vocabulum hoc cum *Stenkilli* nomine pulchre convenit. Porro nisi omnia me fallant, Princeps hic non ideo adpellatus est *Skira*, quod illo lustrationis genere, quo ab antiquissimis retro temporibus non solum Scandinavi, vid. *STURLON. Tom. I. p. m.* 71. & 118, verum omnes fere populi gentiles, usi sunt, initiatus fuerit; sed quod sanctissimo Baptismi lavacro sit tinctus. De probabilitate autem nostræ sententiæ tanto minus est dubitandum, tum quod

quod constet, faculas quasdam Religionis Christianæ, admodum licet raras, hac tempestate per septentrionales oras fuisse accensas, ceu egregie docent lapides Runici hoc seculo erecti, quos exhibet *PERINGSKJÖLD loc. cit.* tum etjam, quod genuina nulla & constans alioquin foret denominationis ratio. His adde, quod per crebra Regum Svethicorum & Holmgardicorum cum imperatoribus Constantinopolitanis fœdera, quæ etjam ante hoc tempus invaluerunt, ad notitiam augusti hujus Sacramenti facile pervenire potuerint Majores nostri, confr. *DALINI Hist. Svec. Tom. I. p. m.* 350, 351, 393. Plura argumenta, quæ nostram confirmant opinionem, silentio jam præterimus. Porro *Skiræ* hujus memoriam servat etjamnum monumentum Runicum in honorem ipsius Thalassiarchæ *SIGVIDI* in Sudermannia erectum, qui in expugnatione regni Holmgardici, duce *Skira* facta, occubuit, vid. *PERINGSKJÖLD loc. cit.* Denique tenendum est, quod ab hoc fortissimo Principe nomen suum acceperit Asiæ provincia *Skirvan* dicta ad mare Hircanum, sicut mihi benigne significavit *Cel. Prof. & Bibl. SCARIN.* (*i*) vid. *PERINGSKJÖLDI libr. cit. p.* 27. (*k*) confr. *Johannis MAGNI Histor. G. & Sv. libr. VIII. p. m.* 345.

§. XLIV.

SKiræ defuncto in imperium successit *RADBARDUS* (*a*) A. C. 590 circiter, qui, ut perquam verisimile est, illi suam debet originem (*b*); atque sedem imperii, more primariorum Holmgardiæ Regum, Aldejoburgi constituit (*c*). Inter regni ejus initia accidit, ut Princeps Svethica *AUDUR DIUPAUGDA* (*Öda den Grundrika*), Regis Upsaliensis *IFWARI Widfamne* filia, immanem Patris crudelitatem exhorrescens, qui dolis atque insidiis con-

conjugem suum *HRÆRECUM Slangwanböge* (*d*), Daniæ Principem, post primas matrimonii delicias e medio sustulerat, una cum parvulo filio *HARALDO*, postmodum *Hildetan* (*e*) dicto, in Holmgardiam se reciperet; sperans, se in his potissimum remotissimis terris securitatem fore obtenturam. Radbardus autem feminæ tam illustris misericordia captus, in aulam suam protinus ipsam admisit; ubi non minus propter venustatem, quam ingenuos mores Principi & adolescenti ita placuit, ut, impetrato ejus consensu, in matrimonium ipsam duxerit. Ex hac conjuge præter alios liberos, duos suscepit filios *RANDVERUM* (*f*) & *ROGNWALDUM* (*g*). Verum Iswarus, cui, post perpetratum in priorem generum facinus, latrans conscientia quævis mala denuntiavit, novam eandemque insignem filiæ fortunam non sine vehementi indignatione cognovit. Partim igitur amplissimorum, quæ in Holmgardia ipsum manere videbantur, spoliorum cupiditate allectus, partim etjam ulciscendi stimulis agitatus, quod Radbardus se invito & non rogato filiam ejus matrimonio sibi junxisset, numeroso stipatus exercitu in Gardariciam confestim advolat, nihil nisi cædes, rapinas ac incendia spirans. Sed vel ex eventu hujus expeditionis constare potest, quam exiguis momentis maximi sæpe casus intercidant. Scilicet præsentissimum, quod Holmgardis jam imminebat, exitium nec ingentibus copiis, nec argutis stratagematibus, sed ludicris præstigiis, quibus multa tribuebant gentiles, fuit

fuit depulsum. Paulo enim ante, quam provincias vastaret Holmgardicas, cum classem adhuc in anchoris teneret Iswarus, factum est, ut prodigioso somno aliquoties excitaretur. Hujus porro interpretationem ut sinistram esse docuerat familiaris ejus *Hordus*, in mare sese præcipitavit; & sic turpi omnino, verum, ut ipsi videbatur, forti morte vitam haud longe ab Aldejoburgo, ubi castra habuit nautica, finivit (*h*). Exstincto ita Iswaro, cum nemo esset, cujus auspicia jam sequerentur milites ejus, & præterea cogitarent, quod nulla omnino injuria a Rege Holmgardiæ fuissent provocati, infectis rebus suos repetiverunt penates. Radbardus autem hujus periculi metu liberatus, occasionem sibi oblatam privignum Haraldum in hereditarium regnum restituendi, temere dimittendam non esse censuit; quamobrem Iswari nepotem, classi copiisque præfectum, in Patriam remisit. Sed tantis Haraldo non opus fuit præsidiis, ut sua sibi vindicaret; agnito enim Principi fasces imperii sponte sua submiserunt cives (*i*). Præterea aliam adhuc tempestatem sustinuisse videtur modo memoratus Holmgardiæ Rex. Etenim *ARTHUS*, Gothorum Princeps, cum Holmgardis, Livonis, Curlandis, aliisque vicinis gentibus bellum tanto successu gessit, ut Radbardus impedire non potuerit, quin & magnam famam & ingentes consequeretur manubias (*k*). Tandem de Radbardo est observandum, quod quamvis opibus ac copiis

plurimum

plurimum valuerit, Regum tamen Upsaliensium imperio sese subducere non potuerit (*l*).

(*a*) Nomen hoc Gothicæ omnino originis est, descendens a *Rad* consilio, unde *Radsvidur* consilii plenus, atque *Barda* pugnare, unde *Bardage* pugna; & proinde *Radbardus* significat virum in belli fervore consilii plenum. (*b*) Confr. *DALINI Histor. Svec. Tom. I. p. m.* 394. (*c*) vid. *PERINGSKJÖLDI libr. cit. p. m.* 28. (*d*) Monuimus supra §. *XXXIX. & not b.* quod *SAXO* diversos admodum natales *Hildetano* nostro adsignet, nec ullus dubitat, quin cum alibi, tum etjam hoc in loco valde sit hallucinatus. Præterea *& Nostra Histor. Herw. & clarius adhuc MS.* quod in Dania servatur, meminit, *Hildetanum* procreatum fuisse Rege *VALDARO & ALFHILDE*, filia *Isware Widfamne*. Ut nodi hi Genealogici, qui solvi plane non possunt, ita tamen secarentur, ut nominato MS. Danico quædam constaret integritas, *Cl. T. TORFÆUS in Serie Reg. Dan. libr. III. p. m.* 314. supponit duos fuisse *Haraldos Hildetanos*, alterum *Hrareco & Audure*, alterum autem *Valdaro & Alfhilde* prognatum, quorum utriusque matres de necessariorum cujusdam nomine filios *Haraldos* adpellarunt, utrique vero postea idem Hildetani cognomen usurparunt. Videns autem *Torfæus* facilius ista supponi, quam rite adstrui, ingenue concedit, mendum circa præsens negotium in *MS. Danicum* irrepsisse: quod nos etjam existimamus. Denique observamus, quod agnomen illud *Hildetan* Historicorum ingenia plurimum torserit. Quidam enim ipsum ita adpellatum volunt a longis & prominentibus dentibus, quos tamen ex arbitrio ipsi adfingunt, ut rationem etymologiæ suæ aliquam habeant. Alii autem deducunt origines nominis hujus ab *Hylda*, fidem alicui obstringere & *tan* subjecto, atque existimant, Regem hunc Imperatori *CAROLO MAGNO* homagium præstitisse. Hæc autem sententia

tia facile convellitur, si modo cogitemus, Haraldum nostrum circa medium seculi VII vixisse; sed Carolum M. circa initium seculi IX. floruisse. Commodius igitur nomen hoc deducimus ab *Hildr* pugna & *tan* vel *dan* bono; adeoque *Hildetan* significat strenuum & felicem bellatorem, qualem Haraldum in initio saltem regni fuisse, vetusti annales satis docent. (*d*) Nomen hoc descendit a *Slanga* projicere & *baugr* annulo; illudque cognomen propterea accepit, quod annulum aureum occasione quadam in mare projecisset, vid. *VILDI observ. ad H. Sv. Puff. p. m.* 220. (*e*) Confr. *Fragmentum Histor. de Isvaro Widfamne cit. a VILDE in libr. nom. p. m.* 222. (*g*) Hic Svethiæ Regi, *Sigurdo Ring*, suppetias tulit in acerrima pugna Bravallensi, in qua magnam edidit hostium cladem; tandem vero a pugile *Ubbio Frisio* multis, eisdemque gravissimis, vulneribus transfossus occubuit, vid. *TORFÆI Histor. Norv. Part. I. p. m.* 450. (*h*) Vid. *VILDI libr. cit. p. m.* 223 & 225; Cui addatur *TORFÆI Series Reg. Dan. Libr. III. Cap. VIII. p. m.* 312. (*i*) Confr. *A. A. EENS Differt. de modis acquirendi imperium Svio-Gothicum p. m.* 23. & citatos ibid. ab ipso Auctores. (*k*) vid. *Johan. MAGNI Histor. libr. VII. p. m.* 350. (*l*) Hoc dilucide admodum ostendit *Histor. Herwara Cap. XX. p. m.* 179. *Isvar hin Vidfarni lagdi tha under sig Sviavelde oc Gautland, Saxland oc all Austurrike alt til Gardarikis*, h. e. Isvarus Vidfarni tunc sibi vindicavit universam Svethiam & Gothiam, Saxoniam & omnes terras orientales usque ad Gardariciam. Idem prorsus ex alio Herwaræ Hist. exemplari comprobat *E. PONTOPPIDANUS in libr. cit. p. m.* 351. Egregie vero hæc omnia pro more suo explicat *VILDE in lib. cit. p. m.* 219.

§. XLV.

Exstincto Radbardo, solium Patris conscendit

RAND.

RANDVERUS (*a*) circa medium fere feculi VII. (*b*). Hic tot feptemtrionis provincias fibi fubjectas tenuit, quot vix alius Europæ Princeps ifta tempeftate haberet. Poft obitum enim Avi materni Svethiam & Daniam fimul cum fratre *Haraldo Hildetano* rexit, & poftea jure hereditatis imperium Holmgardicum folus obtinuit; ac proinde Monarcha totius fere Scandinaviæ fuit (*c*). In matrimonium duxit *ASAM*, Reguli cujusdam Norvegici, *HARALDI Gortrangerenfis* feu *Geirröderenfis* filiam, ex qua fufcepit *SIGURDUM RING*, Principem in Hiftoria Patriæ maxime celebrem (*d*). Magnæ autem Randveri potentiæ minus refpondit perpetuitas. Etenim parum contentus avitum tueri fplendorem, eundem propriæ fortitudinis experimentis augere fategit. Quamobrem junctis cum Haraldo copiis in Angliam fefe contulit, & Northumbriam quidem in formam provinciæ redegit; verum in obfidione urbis *Lindesfarne* occupatus in florentiffimo rerum fuarum ftatu, ut caduca eft mortalium conditio, fubitanea morte correptus An. 680. circiter deceffit (*e*). Dum vero Reges Svethiæ his temporibus partim in occidentalibus Europæ regionibus diutina gererent bella, partim etjam cum vicinis populis frequenter præliis diftraherentur, ficque vires fuas nimium atterrerent; factum eft, ut gentes Orientales, non aliter ac fi virtus Gothica fenuerat, imperio Svethico fefe fenfim fubtraherent atque regna fua poftliminio recuperare inciperent. Verum ifthæc molimina trajecto

trajecto in Gardariciam exercitu diffipavit fortiffimus Sigurdus; Fennones, Livonos, Eftones, aliosque Holmgardiæ populos poft ardua certamina ad officium redire, ac Regibus Upfalienfibus annua, quæ confveverant, tributa pendere cogens (*f*). Interjecto tempore cum ab expeditionibus bellicis ob provectam ætatem vacaret Sigurdus, nubes quædam Holmgardorum Svethiæ littora infefta reddidit; verum, hi rebus minus profpere geftis, ad fedes fuas mox reverfi fuerunt (*g*).

(*a*) Hujus quoque nominis Gothicam reperimus originem. Defcendit enim a *Rana*, quod extremitatem vel limitem alicujus rei denotat, & *verja* defendere; adeoque *Randverus* fignificat Cuftodem limitaneum feu Marchionem. Infuper obfervamus, quod cum hoc Principe inceperit *Dynaftia Randveriana*, quæ diu in Patria regnavit, & demum in *EMUNDO ANNOSO* An. 1060 circiter fuit extincta. (*b*) vid. *PERINGSKJÖLDI libr. cit. p. m.* 29. (*c*) Confr. *VILDI obferv. ad H. Sv. Puff. p. m.* 236. (*d*) Vid. *TORFÆI Hift. Nor. P. I. p. m.* 448, nec non *Hiftor. Hervara Cap. XX. p. m.* 179, 180. (*e*) vid. *TORFÆUM loc. cit.* inprimis autem confulatur *DALINI Hiftor. Tom. I. p. m.* 458. (*f*) vid. *VILDI libr. cit. p. m.* 245. (*g*) Caterva hæc Holmgardorum, Svethiam invadentium, in *Hiftoriola de factis Norna Gefti* dicuntur *QVANI* & *Curi*, quos Carelios fuiffe exiftimat *VILDE loc. cit.*

§. XLVI.

Laudato Randvero in imperium Holmgardicum feculo VII. nondum adulto fucceffiffe *HERGEIRUM* (*a*), admodum eft probabile; cujus natales, nifi

nisi a Randvero sit ortus, nos penitus latent. In matrimonium duxit *YSGERDEM*, Principem in Gothia natam; ex qua suscepit filiam, *INGIGERDEM*, omnium suæ ætatis virginum facile pulcherrimam. Sub hujus imperio alma pace diu fruebantur Holmgardi; tandem vero ipsum, nihil hostile metuentem, noctu aggressus est Norvegiæ Rex *OSTENUS*, Sigurdi filius, atque mœnia Aldejoburgi, oppidanis alto sopore pressis, magna ex parte diruit. Hinc ad prælium est ventum, in quo licet Hergeirus fortissime pugnaret, hostium tamen multitudine obrutus cecidit (*b*); quo facto, totam Holmgardiam brevi tempore in suam potestatem redegit Ostenus. Ut vero cladem, quam Aldejoburgenses passi fuerant, cognovit *SKULIUS*, Jarlus Alfsburgensis, cui filiam educandam pridem tradiderat Rex, exercitum confestim contraxit, injuriam civibus illatam mascule repulsurus. Verum in ipso adparatu gravi adeo implicitus fuit morbo, ut comparatas phalanges ipse in aciem ducere non valuerit; unde factum, ut illæ prope Alfsburgum a Norvegis sint dissipatæ. Hæc cernens Skulius, vir non minus prudens quam fortis, se & alumnam suam callido invento servavit. Enimvero ut subita & nimia felicitas raro solet esse diuturna; ita Ostenus hic, dum propter amplam victoriam convivia securius egit, in cubili suo a nominato Skulio paulo post fuit trucidatus. Hinc Proceres Holmgardiæ convenerunt, atque regnum *HALFDANO*, Osteni filio, obtulerunt; quod tamen ipse vin-

vindictæ cædis paternæ totus intentus, *SIGISMUNDO*, Gothiæ Regi & Ysgerdis fratri, in Gardariciam evocato, dum rediret, administrandum tradidit. Halfdano autem peregre profecto, Ulfkelus Robustus, qui Ducatum Alfsburgensem ab Osteno acceperat, totum Gardariciæ regnum sibi subjicere nitebatur; verum perfida hæc molimina facile elusit ac dissipavit Sigismundi industria. Interea Halfdanus, dum Skulium persequitur, in multa & gravia pericula incidit; quibus certe succubuisset, nisi Skulius, semper ignotus, suppetias ipsi oportune tulisset. Tantis beneficiis devinctus Halfdanus, supplici Skulio facinus commissum condonavit. Præterea regno Holmgardiæ ipsum præfecit, nec non novercam suam, Reginam Ysgerdem, conjugem ipsi dedit; sibi Norvegiam & Principem Yngigerdem reservans (*c*). Skulius autem fatiscenti imperio admotus, in eodem rite constituendo totus fuit occupatus. Suscepit etjam ex conjuge sua filium *HREGGWIDERUM*, qui robore ac fortitudine plerosque pugiles superasse, atque post Patris obitum regnum Holmgardiæ obtinuisse, memoratur. De hoc insuper Principe tantum constat, quod filiam habuerit *YNGEGERDEM*, quæ nupta fuit *ROLFO Pedestri* (*Gange-Rolf*), a celebri illo Norrmandiæ Conquæstore probe distingvendo. Ad hoc ferme tempus referenda est ætas *REMIGII*, Principis Holmgardici; qui tamen Regulis potius, quam Regibus est annumerandus. Hic nuptias *ANNÆ*, filiæ Ducis Patriaborgi *VIGVALDI*, quem plurimis ornaverat beneficiis, ambivit;

 cum-

cumque easdem impetrare haud posset, Duci bellum indixisse fertur. Deinde post varia certamina castellum, in quo familia regia commorabatur, tandem expugnavit Remigius; speciosamque prædam, Annam, domum deductam, matrimonio secum conjunxit, sed plerosque viros fortes adversæ partis captos ferro amputandos curavit. Denique non est reticendum, quod Remigius, cum priore sua conjuge duos genuerit liberos, filium *BALDUINUM* & filiam *ADAM*, quam sibi conjugem expetivisse dicitur Rex quidam Orientalis *NEREUS* adpellatus (*d*).

(*a*) Quod pleraque Principum Holmgardicorum nomina sint Gothica, & bellicum quid spirent, antea observavimus; idem quoque de *Hergeiro* est tenendum. Descendit enim ab *Her*, *Herre* Domino, Principe, & *Geir* veruto; unde *Geirs-oddi* vid *STURL. Tom. I. p.* 11. ac *Ger* bellum; significatque adeo virum, qui probe calleret artem projiciendi veruta in hostes. Profecto ob hanc peritiam laudantur Volsci apud *VIRGILIUM Georg. II. v.* 168 - - -

Adsvetumque malo Ligurem, Volscosque verutos. Porro si quid valeat conjectura mea de ortu Hergeiri, proxima origo nominis repetenda est a loco matris natali, *Geirröder*. (*b*) Confr. *HALFDANI Ostenidis Historiam p. m.* 4, 5, 6. (*c*) vid. cit. *HALFDANI Histor. p. m.* 56 & 57, nec non *TORFÆI Histor. Norv. Part. I. p. m.* 295 & *seqq.* (*d*) vid. *Historiam de ALBANO MS. citat. a BJOERNERO in libr. de VAREGIS p. m.* 78.

§. XLVII.

PRoxime post obitum Hreggwideri seculo VIII. invenimus *HERTRYGGERUM* clavum imperii Holmgardici tenentem, qui magnum patrimonium non modo integrum servavit, sed illud ita adauxit, ut

ut regnum haberet terrarum spatiis atque incolarum numero facile amplissimum. Quibus hic parentibus sit ortus, tum etjam an cognationis quodam vinculo cum Hreggwidero fuerit conjunctus, solidæ aliorum disquisitioni relinquimus. Nobis tantum constat, quod duas susceperit filias, eodem quidem nomine *HILDUR* (*a*) insignitas, sed diversis admodum moribus ac studiis deditas. Altera enim illarum equos ac tela in deliciis habuit, altera autem colum ac telas, ceteraque sexus feminei negotia, diligenter curavit. Prior *BRYNHILDA*, posterior vero *BECKHILDA* deinceps cognominata fuit. Videtur autem Hertryggerus pacatum diu habuisse imperium: donec Principes Jotunheimici, *Hilder* & *Gautias*, virgines jam memoratas adeo clanculum raperent, ut Pater, omni licet adhibito studio, filiarum fata detegere non potuerit Inter hæc *EGILLUS*, Smalandiæ Regis *HRINGI* filius, navem ad Holmgardiæ littora adpulit. Mox vero sibi obvium habuit custodem Hertryggeri limitaneum, *ROGNWALDUM*, quinque admodum navibus stipatum; quem cum paucis militibus adeo fortiter est aggressus, ut plerosque Holmgardorum interfecerit, & Dux ipse, plurimis saucius vulneribus, in fugam se conjecerit. Hic etjam, postquam suorum cladem Regi anhelus nuntiasset, exanimis decidit. Ad hoc facinus vindicandum missus fuit *ASMUNDUS*, Ottaris Halogiæ Regis filius, qui tunc temporis in aula vixit Holmgardica. Hic tamen post quædam certamina, eademque satis ancipitia, Egillum dignum judicavit, quem in amici-

amicitiam reciperet, receptumque Regi Holmgardico reconciliaret. Quid? Quod rem eo perduxerit, ut Egillus in locum Rognwaldi limitibus regni custodiendis præficeretur. Hi porro Heroës multis laboribus & longinquis defuncti itineribus binas Hertryggeri filias, a se inventas, domum reduxerunt, easdemque ipsorum & Patris consensu publicoque Ordinum regni nutu uxores sibi impetrarunt; adeo ut Brynhilda Asmundo & Beckhilda Egillo in matrimonium cederet. Post hæc decessit Hertryggerus, in cujus locum successit modo memoratus Egillus (*b*); cujus singulas res gestas exponere a proposito nostro nimis foret alienum: inprimis cum præter eas, quas modo enumeravimus, quid ad Holmgardiæ florem contulerit, tacentibus Historicis, prorsus ignoremus. Denique silentio non est prætereundum, quod Principes Tattarici amicitiam & affinitatem gentium septemtrionalium, ut Holmgardorum, hoc ævo ambierint. Scilicet Rex Tattariæ (*c*) *RODIANUS* conjugem duxit Hunnalandiæ Regis, cujus nomen in annalibus nostris non occurrit, filiam, ex qua suscepit filium *HERRAUDUM*, a multis propter scientiam rei militaris valde dilectum. Hic post Avi Materni decessum regnum Hunnalandiæ obtinuit (*d*), atque, interjecto tempore, cum Pater & fratres partim a prædonibus interfecti, partim subita morte exstincti essent, Tattariæ imperio fuit præfectus; adeoque Principum suæ ætatis potentissimus erat. Idem post varia fata & præclara fortitudinis specimina in matrimonium duxit *ASAM*, Gothiæ Regis HRINGI filiam, atque ut videtur, Egilli supra laudati sororem (*e*).

(*a*) Nomen hoc deduci potest vel ab *Hilli* gratia, significatque adeo, Principes has in numero Charitum Holmgardicarum fuisse, vel ab *Hilde*, quam instar Bellonæ coluerunt gentes boreales. (*b*) vid. *Egilli & Asmundi Histor. p. m. l.* 2, 8, 9, 70. *&c.* (*c*) Tattaros hos, quibus imperavit *Rodianus*, ad Wolgæ sese maxime incurvantis flexum constituit, adeoque cum Casanensibus & Astracensibus eosdem esse, existimat *Petr. SALANUS in Notis ad Egilli & Asm. Hist. p. m.* 131. Contra ea *TORFÆUS in Hist. Norv. P. I. p. m.* 315. suspicatur, Tattariam hanc fuisse partem quandam Holmgardiæ, ad littora usque Maris albi extensam, adeoque Bjarmiæ vicinam. Et hanc verisimilem sententiam loco quodam ex Sturlonide adducto argute comprobat. (*d*) Confr. *Egilli & Asm. Hist. p. m.* 50, vel, si vacet, *PONTOPPIDANI libr. cit. p. m.* 361. (*e*) vid. *cit. Egilli & Asm. Hist. p. m.* 75. *collat. cum p.* 38.

§. XLVIII.

PORro cum nulla in annalibus sit memoria gestorum Egilli, quæ in Holmgardia fecit, postquam habenas imperii capessivit, credere par est, ipsum, natalis soli amore ductum, avita sceptra paulo post repetivisse. Immo ex familia illius Principem, in Gardaricia regnantem, nullum omnino reperimus. Quoniam igitur *HERRAUDUS* quidam hoc circiter tempore Holmgardis imperitavit; probabile est, quod Egillus, hinc discedens, affini suo Herraudo, cujus nuper mentionem fecimus, imperium reliquerit. Multas certe calamitates hactenus senserat Holmgar-

gardia; verum quas bellicosissimi e Scandinavia Viri sub Regis modo memorati imperio provinciis Gardariciæ iterum iterumque intulerunt, nec pauciores nec minores sunt censendæ. Inter alios vero, qui tranquillitatem horum populorum turbarunt, innotuit *AUGMUNDUS* quidam *Eythioficida* (*a*), non minus propter immania flagitia, quam fortia facinora longe lateque famosus. Hic ex Norvegia, natali solo, navem solvens, partim in Gothia, partim etjam in Holmgardia varia cum pugilibus obviis habuit certamina, sed pleraque infelicia; multa temeritatis, plurima autem perfidiæ & crudelitatis vestigia ubique locorum relinquens. Tandem *Geirraudi* gigantis, vel, ut verisimilius judicamus, Reguli Holmgardici adfinitate, ducta in matrimonium filia ipsius *Geirride*, auctus, partem quandam Holmgardiæ consecutus est. Multos deinde sibi subjecit regulos; quibus, ut ferocissimum ipsi fuit ingenium, non magna solum, sed etjam inhumana (*b*), prorsus imposuit tributa (*c*). *OERVARUM ODDUM* (*d*), Grimi Hirsutigenæ filium, ex Norvegia itidem ortum, fortissimum inprimis æmulum expertus est nominatus Augmundus, qui palmas ipsi dubias sæpe reddidit. Ille ex gigantis cujusdam *Hilderis* filia, *Hildigerde* nuncupata, filium *Viguerem*, statura atque viribus communem hominum modum superantem, suscepisse traditur: quem adolescentulum atque insidiis cavendis minus adsvetum interemit Augmundus. Ex qua cæde tantum vulnus accepit pater, ut inter ipsum & sicarium hunc continuum bellum atque simultas

multas fuerit. Primo igitur in Bjarmiam, mox in Gardariciam sese contulit Oddus, partim quod avitos penates, nati sangvine adspersos, ferre non posset, partim quod Augmundum, quem in his oris degere cognoverat, ulcisci vellet. In Holmgardiam autem perveniens, in familiaritatem Regis Herraudi statim admissus fuit, & tanti factus, ut Marchio constitueretur, ac proximum a Rege dignationis locum obtineret (*e*). Post hæc in matrimonium duxit *SILKISIFE*, Herraudi filiam; immo post Regis hujus obitum ad imperium pervenit Holmgardicum. His instructus viribus vindictam, diu meditatam, non distulit, sed Augmundum ita ad incitas redegit, ut annua ipsi tributa pendere cogeretur. Qua victoria contentus imperium ad seram usque senectutem placidus administravit. Tandem autem ingenti in Patriam amore ductus, Norvegiam, quam sibi fatalem futuram vates pridem cecinerant, rursus petiit; ubi a vipera, ex cranio equi sui, jam dudum mortui, erumpente, graviter vulneratus occubuit (*g*). Hic etjam Oddus ex conjuge duos suscepit filios *AUGMUNDUM* & *HERRAUDUM*, qui patri in imperium quidem successerunt (*h*), sed qualia sub illis fata experta sit Holmgardia, prisca reticent monumenta.

(*a*) Hoc cognomine eam ob caussam fuit insignitus, quod nutricium *Eythiofum*, optime de se meritum, occiderat. Vocatur etjam *Augmundus Floccus* vid. *E. PONTOPPIDANI libr. cit. p. m.* 355, ab illo *Flocco*, cujus in antecedentibus mentionem fecimus, probe distingvendus; quippe quo ætate longe fuit posterior. (*b*) Scilicet a Regibus sibi subjectis

jectis pilos tam superioris, quam inferioriis labii una cum subjecta cute, præter grandes pecuniæ summas, exegisse traditur, vid. *PONTOPPIDANUM loc. cit.* (c) Confr. *TORFÆI Hist. Norv. P. I. p. m.* 272 & 273. (d) Hic Oddus insignem calluit jaculandi artem; quare etjam in vetustis annalibus *Oddus Jaculator* non raro salutatur. Quid? Quod propter hanc peritiam celebris jam ante evasisset ejus familia. Ipsius enim avus *Catillus Hængus* possedit *Sagittas Gusianas*, quæ non minorem in Norvegia, quam Herculis quondam in Græcia consecutæ sunt famam. Quamvis porro Oddus noster in aula Svethiæ Regis Ingialdi Illrada aliquamdiu sit commoratus, vid. *BJOERNERI libr. de Var. p. m.* 21, quem seculo VII. regnasse constat; hoc tamen non impedit, quominus sec. etjam VIII. ipsum floruisse existimemus, siquidem per longam annorum seriem & quidemper aliquot secula vixisse narretur, vid. *TORFÆI libr. & loc. cit.* Denique notandum est, quod *BJOERNERUS libr. cit p. m.* 54 *seqq.* existimet, hunc Oddum eundem prorsus esse cum illo *Olego*, qui tempore *Ingonis*, Holmgardiæ Regis, vixit. Et revera, complures circumstantiæ, inprimis quæ mortis genus utriusque concernunt, adprime in ipsum quadrant; quocirca in eandem sententiam confestim irem, nisi volentem revocaret diversa utriusque ætas. (e) vid. *BJOERNERI libr. cit. p. m.* 24. (f) Inter alios Duces, quos in vigore ætatis superavit, fuit *KNIELUS*, Princeps Kjænugardensis, vid. *BJOERNERI libr. cit. p. m.* 32. (g) confr. *TORFÆI libr. cit. p. m.* 273 & 274. (h) *BJOERNERI libr. cit. p. m.* 33 & 35.

§. XLIX.

Interea vero, dum sive Herraudus sive ejus filii ad gubernacula regni Holmgardici sedent, *OLAVUS*, quem Asmundus supra memoratus ex conjuge sua Brynhilda susceperat, Princeps fortissimus, partem hujus imperii vel armis sibi subjecit, vel hereditate est consecutus (a). Hic intra avitos penates non consenuit, verum quamprimum ætas permisit, regnum amicis suis defendendum tradidit, dum ipse in exteris regionibus opes & gloriam sibi quæreret. Classe igitur atque exercitu comparatis, occidentem versus in Norvegiam cursum dirigens, ad scopulos, *Ulfwaskjär* dictos, primum adpulit; quibus spoliatis, alias quoque insulas in suam redegit potestatem. In quadam vero harum obvium sibi habuit *Rognvidum*, gladiatorem ferocem; qui, instituto certamine, duos quidem Regis hujus Marchiones & comites confestim prostravit; ad postremum tamen a Hromundo clava percussus occubuit. Deinde Olavus ad insulas Orcades est profectus, ex quibus magnas etjam egit prædas. His feliciter gestis, in Vallandiam sese contulit, ubi multa imperterriti animi specimina edidit. Hinc amplis onustus manubiis in Patriam rediit, ibique tranquille imperium aliquamdiu administravit (b). Interjecto autem tempore duo Gothiæ vel Norvegiæ reguli, cognomines *HADDINGI*, Olavum ad certamen singulare, in glacie lacus Vestro-Gothici Væneri habendum, nuntiis missis, provocarunt. Nec pugnæ aleam ipse detrectavit, sed cum Vinkingis his sæpius & vario marte est congressus. Tandem quoque, opera inprimis fortissimi Hromundi, cui propterea sororem germanam, *SWANHWITAM* (c), in matrimonium dedit, speciosam reportavit

portavit victoriam (*d*). Hoc circiter tempore floruisse mihi videtur Jarlus Holmgardiæ, *ASPER* dictus, quem propter potentiam in magno honore habuerunt vicinæ gentes. Hujus filiam *Rafnborgem* thori sociam sibi expetivit *Sigurdus*, Regis Glæsisvallensis *Gudmundi* filius; verum ipso nuptiarum die a Jarlo quodam, *Quintalino*, structis insidiis & abducta prius sponsa, e medio fuit sublatus (*e*).

(*a*) Vid. *HROMUNDI GRIPSONII Histor. Cap. I. p. m. 1. Sa Kongur riede fyrer Gordum, er Olafur biet, han var Son Gnodar. Asmundur, han var fragur Madur.* h. e. Gardariciæ præfuit quondam Rex inclytus, Olavus, Asmundi Gnodarii filius. Cognominatus autem est *Gnodarius* a *Gnode* nave sua insignis magnitudinis & fabricæ, vid. *BJOERNERI libr. cit. p. m.* 65. (*b*) vid. *cit. Hromundi Histor. p. m.* 1 - - - - 8. (*c*) Habuit præterea aliam sororem *Dagny* adpellatam. (*d*) Confr. *BJOERNERI libr. cit. p. m.* 68. (*e*) vid. *SAMSONAR. FAGRAS Histor. p. m.* 33 *& seqq.*

§. L.

QUos nuper recensuimus Principes Aldejoburgenses cum Regibus Upsaliensibus fidam plerumque coluerunt amicitiam. Contra ea autem Reguli Holmgardici, qui proxime memoratis seculis floruerunt, impatienter admodum tulerunt imperium Svethicum. Igitur non sine blanda quadam voluptate cognoverunt insolentem ardorem, vel potius furorem, qui hoc tempore Scandinaviæ Principes ad regiones Europæ remotissimas raperet, ubi continuis bellis vires suas attererent; certo certius sibi

bi promittentes, has in occidentalibus terris sævientes tempestates nulla sibi allaturas fulmina, si in libertatem sese adsererent. Copias igitur undique comparant, Svethiam, viris ac opibus pæne exhaustam, jam jam oppressuri. Brevi autem didicerunt orientales hi populi, quam plena periculi res sit, leoni, licet ægrotanti, insultare. Prius enim, quam surgentes cernerent nubes, tonitrua, justas perfidiæ pænas ipsis minitantia, non sine stupore audiverunt. *RAGNARUS* quippe *LODBROKIUS*, qui non minus longinquis expeditionibus, quam felicibus armis inclaruit, sua auctoritate & potentia facile prævertit & sustulit anomalias, quas sua absentia per Gardariciam produxerat. Non solum enim feroces gentes mascule repulit, sed, trajectis insuper phalangibus, Regulum quendam, *DIAN* (*a*) adpellatum, post ancipitem pugnam superatum occidit. Deinde binos hujus filios, *DIAN* atque *DAXON*, Reguli cujusdam Holmgardiæ generos, qui paternæ cædis vindictam moliebantur, prælio devicit, & gentes, quæ horum signa sequebantur, omnes in fugam conjecit. Hinc in devictorum Principum Socerum, cujus nomen non habetur, exercitum movit: sed hic, viribus suis diffisus, salutem fuga quæsivit (*b*). Pari successu ceteros, quos deprehendit, contumaces persequitur, nec prius hinc discessit, quam octo regulos sibi vectigales reddidit, totumque imperium Holmgardicum in suam redegit potestatem (*c*): quod filio Hwitserkero regendum postea concessit. Ipse autem versus septemtrionales regiones sese contulit, Bjarmios, in res

novas

novas pronissimos, debellarurus. Sed ipsi heic negotium fuit non cum militibus tantum, verum cum vaferrimis magis & horrendis larvis; quare infectis rebus hinc primum recedere coactus, ad Sembos & Curlandos sese convertit. Ab his benigne excepus & copiis atque commeatu satis instructus, in Bjarmiam denuo revertitur. Hæc omnia præviderat Bjarmiorum Rex, quocirca opem *MATALLI*, Reguli cujusdam Fennonum, sollicitaverat, impetrataque haud exigua sagittariorum manu, Ragnarum iterum iterumque est aggressus. Tandem vero secunda fortuna insolentiores facti Bjarmii, deque rupibus in campos descendentes, aperto Marte prælium commiserunt, sed facili tunc victi sunt negotio. Præterea Rex illorum occisus fuit; Matallus autem oportune sese domum contulit (*d*). Hoc consensionis globo ita disjecto, populisque ad pristinum reductis officium, in Svethiam properat Ragnarus, ut aliis vacaret expeditionibus (*e*).

(*a*) In vetustis annalibus hic vulgo dicitur *Rex Hellesponti*, vid. *SAXON. GRAM. libr. IX. p. m.* 172. Scilicet ut Monachi, in Scandiam venientes, Gardariciam Græciæ nomine insigniverunt; ita Mare quoque Balticum cum Hellesponto ipsos perperam confudisse verisimile est. Profecto Regnum Dianis in Estonia vel Livonia quærendum esse, jure optimo contendit *E. PONTOPPIDANUS libr. cit p. m.* 352. (*b*) vid. *SAXO GRAM. loc. cit.* vel, qui historiam hujus expeditionis in compendium misit, *TORFÆUS in Serie Reg. Dan. libr. III. Cap. X. p. m.* 354. (*c*) confr. *M. GÖRANSSON in Historia Regum Svio-Gothicorum p. m.* 86. (*d*) vid. *MEURSII Hist. Dan. libr. II. p. m.* 41; cui addas *PONTOPPIDANI libr. cit. p. m.* 352 - - - 354. (*e*) *Ragnarum* nostrum aliam adhuc expeditionem in Holmgardiam suscepisse, auctor est *TORFÆUS loco nuper citato*, Scilicet, ut cognovit filium *Hwitserkerum*, dolis circumventum, occubuisse, classem confestim instruxit, qua auctorem cædis hujus profecutus, vivum eundem cepit. Hic proinde rigidissimas pœnas haud effugisset, nisi gratiam victoris supplex implorasset, sancteque promisisset, se annua ipsi pensurum tributa. Hæc Torfæus. Meliora autem monumenta ostendunt, Hwitserkerum, fatis Patris sui superstitem, ultionem indignæ mortis ab *ELLA*, Jarlo Northumbriensi, cum fratribus severissime exegisse, confr. *Histor. de Ragnaro Lodbrokio Cap.* 22.

§. LI.

Spiritus haud minus animosos inde a teneris conceperat *HWITSERKERUS* (*a*), cujus modo mentionem fecimus, quam pridem aluerat impiger Ragnarus. Ipsius enim adolescentia ad scientiam rei militaris non alienis præceptis, sed suis imperiis, nec offensionibus belli, sed victoriis est traducta. Scilicet partim in Gallia, partim quoque in Britannia tanta fortitudinis documenta edidit, ut exercitus populorum, qui cursum victoriarum ejus retardare nitebantur, feliciter prostraverit, multos etjam sola adventus fama dissipaverit (*b*). Ex longinquis autem his expeditionibus domum redux, hostem satis acrem in ipsa patria expertus est *OLAVUM TRÄTELJA*, Vermelandiæ Regem; cum quo diu & ancipiti Marte pugnavit. Tandem vero bellum his conditionibus fuit compositum, ut Hwitserkerus Finlandiæ partem, Holmgardiæ con-

ter-

terminam, quam, ab hoc regno avulſam, ſibi procul dubio ſubjecerat Olavus, reciperet, & viciſſim *INGE*, Olavi filius, Ragnari Lodbrokii filiam atque Hwitſerkeri ſororem conjugem nanciſceretur (*c*). Aliam præterea tempeſtatem, Rege hoc abſente, ſuſtinuit Holmgardia. Dum enim una cum fratribus in Anglia fuit occupatus in morte patris vindicanda, Dani, occaſioni inſervientes, Curlandiam, contra Svecos tunc rebellem, multitudine navium congregata, intercipere ſunt conati; ſed irrito conatu & magna a Curonibus accepta clade. Fatigatis quidem, ſed adhuc contumacibus populis ſuperveniunt Sveci, atque ductu Principis cujusdam *OLAVI* (*d*) ipſos ad priſtinum redire officium cogunt (*e*). Paulo poſt victo & occiſo Ella, Duce Northumbrienſi, in Gardariciam properat Hwitſerkerus; ubi armis & prudentia tantum valuit, ut Fennones, Holmgardi, Eſtones, Slavonii, Krivitzii atque Meriani annua ipſi penderent tributa (*f*). Quid? Quod remotiores etjam Principes amicitiam Regis hujus Holmgardici quæſiviſſe videantur. Etenim poſt mortem Imperatoris *LOTHARII I.* quæ An. 855. contigit, *RADISLAUS*, Moraviæ Rex, gliſſentibus inter filios imperatoris discordiis, partem regni, quam ipſi eripuerant Hungari, ſe recuperaturum ſperavit; ideoque cum Poloniæ & Holmgardiæ Regibus fœdus iniit, a quibus magna deinceps impetravit auxilia (*g*). Interea, dum hæc geruntur, Hwitſerkerus, qui domi remanſerat, imperium conſtituit. Enimvero in pacis ſtudia haud nati fuerunt

fuerunt Ragnari filii. Immo, ne quid diſſimulem, perverſa adeo tunc erant tempora, ut qui benevolentiam civium retinere vellet Princeps, continuis illos detineret bellis. Contracto igitur exercitu, more Majorum Thraciam verſus ſeſe contulit ſtrenuus hic Rex. Et poſtquam cum claſſe ducentarum navium (*h*) Moſchoviæ flumina transnaverat, ſociumque expeditionis Ducem Kiovienſem, *OSCHOLDUM* (*i*), adſumſerat, tumidis velis Pontum Euxinum ingreditur. Deinde regiones Propontidis immaniter adeo populatur, ut ne templa quidem & monaſteria ſævitiam ejus effugerent (*k*). Hæc prima habetur expeditio propriis auſpiciis ab Holmgardis verſus Conſtantinopolin ſuſcepta (*l*), & incidit in An. 864. vel 865. circiter, *MICHAËLE CUROPALATE* & *BARDA* ad gubernacula imperii Byzantini ſedentibus (*m*). Nec diu moratus, ipſam Conſtantinopolin recta petit Hannibal noſter, quæ extremum ſubitura interitum jam videbatur. Imperator enim Michaël graviſſimo cum Saracenis bello ea tempeſtate fuit occupatus (*n*), quod neque componere tum potuit, neque partem copiarum domum reducere ſuſtinuit; ſatis ſuperque prævidens, Arabes vel ſe recedentem inſecuturos, vel reliquias exercitus mox aggreſſuros. Ut tamen ab ancipiti hoc, quo premebatur, periculo ſe expediret, bellum cum Saracenis gerendum Ducibus ſuis committit; ipſe cum paucis admodum militibus in urbem penetrat, tonantem a Septemtrione tempeſtatem, quam vi & armis in ambigua

ambigua hac rerum crisi avertere non potuit, industria ac arte propulsurus. Tristi scilicet experientia dudum cognoverant Græci, morem gentium borealium non esse, aliorum invadere & occupare terras, ut illas perpetuo retinerent, sed opes tantum, quarum avidissimæ fuerunt (*o*), ac gloriam suis sibi victoriis quærere. Aurea igitur & argentea vasa, nec non pretiosissimas vestes sericeas ingenti copia Hwitserkero submisit Imperator; amplisque his muneribus suas provincias a gravissima liberavit calamitate (*p*). Pace deinceps & amicitia inter belligerantes Principes constituta, haud pauci Holmgardorum sacra Græcorum amplexi, æternæ salutis fonte sunt initiati (*q*); quorum etjam plerique, qui ab Imperatore Constantinopolitano palatinis officiis fuerunt admoti, in oriente occubuerunt. Tandem ut nova gloria novo titulo illustrior redderetur, Hwitserkerus primus fuisse putatur, qui sese *Chagan* salutari voluit (*r*). Ex Hellesponticis autem regionibus in Holmgardiam revertenti occurrit Princeps *DAXON*, acceptam pridem injuriam vindicaturus. Hujus enim & patrem & fratrem, regno pulsos, occiderat Ragnarus. Quamvis vero recentibus ac numerosis instructus esset cohortibus, Holmgardiæ tamen regem armis superare diffidit; quare ad insidias vertitur. Nam facta cum illo pace, ut credebatur, integerrima, Daxon Hwitserkerum in urbe quadam lauto excepisse traditur convivio. Ubi vero nox incubuit, Holmgardi a militibus Daxonis,

nis, qui specie mercatorum oppidum intraverant, circumsessi nefarie trucidantur. Rex ipse non tam victus, quam vincendo fatigatus, quum propter ingentes stratorum hostium cumulos elabi non posset, captus fuit (*s*). Qui, cum ægerrime ferret, gloriam tot tantisque rebus feliciter gestis partam, intra horrida carceris claustra obscurari, nec alieno beneficio vivere vellet, a victore tandem impetravit, ut in pyra, ex occisorum militum capitibus congesta, quo sepulturæ genere nihil præclarius barbaro hocce ævo excogitari potuit, vivus concremaretur (*t*). Sicque Phœnix Regum Holmgardicorum illustrem vitam ignea morte commutavit. Denique notandum est, quod sub imperio Hwitserkeri floruerint duo Russorum Principes *SAMOVITUS* atque *BOGARINUS*, qui Christianam doctrinam, quam Sacerdos quidam *Nawrok* ipsis annunciavit, cum magna civium multitudine amplexi fuerunt (*u*). Hi autem Ducibus Primisliensibus annumerandi videntur.

(*a*) Utrum *HWITSERKERUS* fuerit eximii hujus Principis nomen proprium, an vero cognomen, quæ quidem sententia haud paucis arridet, vid. *DALINI Histor. Sv. Tom. I. p. m.* 482, difficilis videtur quæstio. Nomen hoc profecto est antiquissimum, quo plures fortissimi viri olim sunt insigniti. Sic Holmgardiæ Rex *Yngvarus*, qui tempore *Sturlogi* vixit, Marchionem habuit *Hwitserkerum* dictum, confr. *Sturlogi Histor. p. m.* 74. atque tertius *Suipuri* filius vocabatur *Hwitserkerus*, vid. *Rolff-Krakes Histor. p. m.* 40. Alios ejusdem nominis, Hwitserkero nostro priores, silentio jam præterimus. Conveniunt quidem multum quod ad sonum

Serkian-

Serklandiæ & *Hwitserkeri* nomina, diversa tamen eorum etyma constituere par est. Ut enim illud provinciæ, Finlandiæ conterminæ, impositum e lingva Fennica suos repetit natales; ita etjam hoc, Mavortibus Gothicis inditum, Gothicam spirat originem. *Hwitserker* igitur commode deducitur a Goth. *Hwit* candido & *Serk* lorica, vid. *DALIN. loc. nuper cit.* Quocirca observamus, quod non infrequens fuerit, homines a certo vestium genere cognominari, ceu inprimis exemplo *Ragnari Lodbrokii* constat. Porro notandum est, album colorem tam ab aliis gentibus, quam a veteribus Scandinavis tanti factum esse, ut eidem Divini quid inesse existimaverint, vid. *TORFÆI Histor. Norv. Tom. II. p. m.* 476. Ab hoc igitur colore, feminis perquam dilecto, nomen acceperunt *HWITA*, Uplandiæ Regis *Ringi* conjux, nec non plures *SWANHWITÆ*. Ulterius neminem existimamus futurum, qui derivationem a lorica desumtam, ceu nimis vilem ac regali fastigio indignam, explodat. Ut enim omnibus ferme armis singulares proprietates inesse, superstitiosa credidit antiquitas; ita præstantissimam virtutem loricis, utpote corpori proxime contiguis, ipsa tribuit. Præterea ex albo colore, quo lorica Hwitserkeri fuit conspicua, deducimur ad genus ejusdem determinandum. Nam vero omnino est simile, quod hic Princeps vel jure hereditatis acceperit præstantem illam tunicam, quam mater ipsius *ASLAUGA* donaverat Ragnaro, in Angliam abituro, de qua vid. *Histor. Ragnari Lodbrokii Cap. XV. p. m.* 41; vel etjam inter cetera regalis magnificentiæ instrumenta ab imperatore *Michaële Curopalate loricam* obtinuerit *Linteam*, sed certo artificio ita induratam, ut gladio ægre potuerit perforari. Et quoniam talis vestitus populis borealibus insolens esset, cognomen *Hwitserkeri* ipsi fuit inditum. Profecto *AJAX* Oileus apud *HOMERUM* Ἰλιαδ. β. v. 529.

Ἀλλὰ πολὺ μείων· ὀλίγος μὲν ἔην λινοθώρηξ·

ob

ob *Linteam* celebratur *loricam*; atque milites *IPHICRATIS* propter similem laudantur vestitum, vid. *CORNEL. NEP. in vita Iphicratis Cap. I.* Si quis porro scire desideret, qua ratione ejusmodi loricæ linteæ, quæ vim telorum eluserunt, fuerint confectæ, huic egregie satisfaciet *ROLLIN*, „*On a de la peine à concevoir comment de telles Cuirasses pouvoient defendre les Soldats & les mettre en seureté contre les coups, qu' on les portoit. Mais ce Lin trempé dans du Vinâigre, melé de sel, étoit tellement preparé qu' il se durcissoit & devenoit impenetrable au fer aussi bien qu' au feu.* confr. *L' Histoire Ancienne Tom. V. p. m.* 454 & 455. Ab eodem denique vocabulo *Serk* descendit *Berserkorum* seu *Barserkorum* nomen, qui fuerunt pugiles adeo feroces, & tam superbi mortis contemtores, ut nudi atque sine loricis per instructas hostium acies discurrere & cum eis confligere non dubitaverint; ferro enim impenetrabiles credebantur. Quales quidem immanes viros tempore Regis *Halfdani* in aula vixisse Holmgardica, atque propter ingentem rabiem famosos fuisse, ex *Gothrici & Rolfi Histor. p. m.* 163. dilucide constat. (*b* Vid. *DALINI Histor. Sv. Tom. I. p. m.* 522 & 523. (*c*) Confr. *PAULINI GOTHI Histor. Arctoam Libr. II. Cap. XLIV.* (*d*) Hic Princeps imperium Svio-Gothicum interea administravit, dum Ragnarus & ejus filii abessent, vid. *DALINI Histor. loc. cit.* (*e*) vid. *RIMBERTUM in vita S. Ansgarii Cap. XXVII.* (*f*) vid. *Chronicon Russorum: POVIEST VREMIANICH in dissertat. J. HELSINGII de Origine prisca gentis Varegorum p. m.* 56. Russicus hic Scriptor testatur, pro quolibet viro solutum fuisse *po bjelvi vieverizy.* Significatio vocabuli *vieverizy* in lingva Moschovitica frustra quæritur: in Polonica autem superest *vieviebra*, quod sciuros denotat; quorum cum alii sint albi, alii nigri, alii denique rufi, mirum non est, quod Historiographus Russicus adjecerit *albos*, vid. *T. S.*

BAYERUM

BAYERUM in Act. Petropolitanis Tom. IV. p. m. 304. Cui addas *P. PETREJI Chronicon Moschovit. libr. II. p. m.* 2. (*g*) confr. *Th. PESSINA in Marte Moravico Libr. II. Cap. V. p. m.* 146. (*h*) Non magna admodum fuisse navigia, quibus in suis expeditionibus versus Constantinopolin usi sunt Holmgardi, ex *libro CONSTANTINI PORPHYROGENITI de administrando imperio p. m.* 9. colligi potest: Ἐπειδὴ ἐν τῷ μετὰ τῶν πλείων εἰς τοὺς Φραγμοὺς τῶν ποταμῶν γίνεσθαι τοὺς Ῥῶς, καὶ μὴ δύνασθαι διελθεῖν, εἰ μὴ ἐξαγάγωσι τοῦ ποταμοῦ τὰ πλοῖα αὐτῶν, καὶ ἐπὶ τῶν ὤμων βαστάζοντες διαβήσωσιν. Ejusmodi navigia portatilia a veteribus Gothis *ASKAR* dicebantur, vid. *Hervar. Histor. Cap. V. p. m* 68; unde & nostri *ASKMÄNNER* cognominati, & *ASCI* a multis usitati populis, nomen sunt sortiti. Notatu igitur digna est descriptio adparatus Holmgardorum navalis, quam tradit *Imperator MAURICIUS libr. II. Strateg.*; ἔχουσι δὲ καὶ ἀσκοὺς βοείνους i. e. habent autem navigia seu *Ascos* ex corio confectos. De modo, quo hi conficiebantur, pluribus disserit *Du CANGE in Glossario mediæ & infimæ Latinitatis, voce Ascus.* (*i*) Duorum Principum *Oscholdi* atque *Diari*, Comitum Hwitserkeri, mentionem faciunt Moschovitarum annales. Verum *Diar* non esse nomen personæ, sed muneris ac dignitatis, coincidens cum Goth. *Drott*, dudum observarunt acutissimi Historicorum. Hunc porro *Oscholdum*, eundem esse cum *ASLAKO, Bjærnonis Jarnsidæ* filio, atque Hwitserkeri patruele, qui, patruo absente, immorigeros Curlandos ad officium redire coëgit, nec non post expeditionem Constantinopolitanam, in qua Hwitserkero suppetias tulit, familiam, Kioviæ diu regnantem, condidit, perquam verisimile est, vid. *DALINI Histor. cit. p. m.* 523 & 537. Denique tenendum est, quod ab hoc Principe nomen suum acceperit fluvius *OSKOL*, qui in flumen Tanaim haud procul ab hujus origine illabitur. (*k*) Hanc vastationem

tionem prolixe & graphice describit *NICETAS DAVID PAPHLAGO in vita S. Ignatii Patriarchæ Const. Tom. V. Conciliorum HARDUINI p. m.* 966. (*l*) vid. *Simeonis LOGOTHETÆ Annales in MICHAELE Cap. XXXVIII. p. m.* 445. (*m*) confr. *T. S. BAYERUM in Act. Petropol. Tom. VI. p. m.* 367 & 368. (*n*) vid. *Simeonem LOGOTHETAM & LEONEM GRAMMATICUM.* (*o*) vid. *CONSTANTIN. PORPHYROGEN. libr. cit. p. m.* 10. (*p*) Confr. *Continuatorem THEOPHANIS p. m.* 211. Alium præterea liberationis modum, sed plane miraculosum, tradunt *POVIEST VREMIANICH & LEO Grammaticus*: Scilicet Imperator *MICHAEL* & Patriarcha *PHOTIUS*, fusis ad DEum precibus, e templo *Blachernarum* stolam B. Mariæ sumserunt, cujus oram ut mari immerserunt, maxima confestim furere cœpit tempestas, qua naves Holmgardorum ad scopulos allidentes gravissimum fecerunt naufragium. Sed quis, quæso, emunctioris naris non videt, quod hæc narratio aniles nugas & monachales redoleat ineptias. Hoc autem inde plenius colligitur, quod Photius in epistola encyclica ad Patriarchas Orientis Holmgardorum expeditionem, sine ulla tamen miraculi memoria, exponat, confr. *BAYERUM loc. cit. p. m.* 381. (*q*) Holmgardi, qui hac occasione conversi fuerunt in Annalibus Græcorum *CUMANI* dicuntur; quos vero Kiovienses fuisse, existimat *BAYERUS loc. cit. p. m.* 390. (*r*) vid. *Corps Diplom. de DU MONT Supplem. Tom. I*; vel, si vacet, consulantur *Annales Francici Bertiniani apud DUCHENIUM Tom. III. p. m.* 195. Tenendum autem est, quod *Chagan* fuerit nomen personale, vid. *REUTENFELSI libr. cit. p. m.* 33; inprimis vero hoc titulo dignitas & splendidum munus sit indigitatum. Hinc Tattari Calmuckienses Principem suum *Chan* adpellant, vid. *Tabulam Polyglottam insertam operi Historico STRAHLENBERGI*; atque Imperator magnæ Tattariæ *Tattar-Chan* salutatur. Porro vox *Chagan* seu *Chakan* lingva Arabica Imperatorem seu Αὐτοκράτορα

χάλογα significat. Ab eodem vocabulo arcessendi videntur natales nominis *Czar*, quo principes Moschovitici postmodum usi fuerunt. *Zar* enim & *Czar* denotant *magnum*; quare etjam *Zargard* & *Miklagard* in annalibus nostris Synonyma habentur. His licet positis, non tamen morose repugnabimus, si quis originem vocis *Zar* a Gothic. *Sar* Domino potius deducendam esse existimet. (*s*) vid. *SCHOENSTRÖM in Histor. Patr. MS. citat. a DALIN libr. nomin. p. m.* 526, nec non *Alb. KRANTZII Svec. libr. V. p. m.* 304. (*t*) vid. *Histor. RAGNARI LODBROKII Cap. XXII. p. m.* 61. (*u*) *Confr. STREDOWSKI Moravia Sacra libr. II. Cap. VIII. p. m.* 234.

ERUDITISSIMO DOMINO JOHANNI COLLIANDER,

Consangvineo Suo.

QVamvis nulla inveniatur disciplina, cui sua non sit dignitas, ceteris tamen omnibus præstantia ac utilitate antecellere videtur Historia. Hæc enim a DIODORO SICULO recte vocatur Φυλακὴ τῆς τῶν ἀξιολόγων ἀρετῆς, μάρτυς τῆς τῶν Φαύλων κακίας, εὐεργέτις τοῦ κοινοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους. Scilicet hæc deducendo nos in familiaritatem hominum, qui multis retro seculis vixerunt, totius vitæ ipsorum rationes nobis ostendit. Hæc porro efficit nos secretorum arbitros, & Regnorum ac Rerumpublicarum arcana detegit. Omnes igitur, qui prudenter vitam suam instituere volunt, fidam hanc Magistram sequuntur. Recte itaque, Mi Amicissime COLLIANDER, fecisti, quod tam aliis scientiis, quam inprimis Historiæ horas Tuas consecres. Quantum in hoc studio profeceris, vel ex Dissertatione hac, quam brevi es defensurus, satis superque constabit; auguror enim Te ex cathedra omnium bonorum adplausus fore reportaturum. Interea gratulor Tibi felicem ex Bellonæ castris ad jucunda Musarum delubra reditum. Gratulor Tibi eximias ingenii & corporis dotes, quas svavissima virtutum copula valde exornat. Denique ex toto pectore voveo, velit supremum Numen assiduitatem laborum Tuorum largissimis mactare præmiis, Teque incolumem in Tuum Tuorumque gaudium quam diutissime conservare.

OTTO REINH. BOEKMAN.

Suecia
antiquitates